

V  
1869



hi



h. v. v. Q. XVIII, 18.



# DE MORTE IN=

CLYTI HEROIS, ET OPTIMI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOAN-  
NIS FRIDERICI DVCIS SAXONIAE,  
LANDGRAVII TVRINGIAE ET  
MARCHIONIS MISNIAE.

Epicedion.

Authore

IOANNE SCHOSSERO  
Turíngo.

ERPHVRDIAE.

ANNO M. D. LIII.  
Mense Septembri.



AD MAGNIFICVM VIRVM,  
DIGNITATE, ERVDITIONE AC VIR-  
TVTE PRAESTANTEM D. CHRISTIANVM  
Brück, iuris utriusq; Doctorem, Consiliarium illustri-  
morum Ducum Saxoniae, Dominum  
suum colendum.



Clare uir Aonij cultor celeberrime fontis  
Dogmata qui lati cognita iuris habes,  
Cuius in ore tenet cultam facundia sedem,  
Nestoris aut Graij quanta Periclis erat.  
Si libet atq; sinunt magnarum pondera rerum,  
Incumbunt animo quæ sine fine tuo:  
Accipe, pertenuem non dedignatus honorem,  
Paucula Schofferi carmina ducta manu.  
Carmina quæ tristi lachrymis de corde profectis  
Deplorant nostri fata suprema Ducis.  
Magna quidem illius pietas præclaræq; uirtus  
Digna fuit uersu liberiore cani.  
Ipsemet & poteram prolixis uersibus uti,  
Ante mihi numeris ni celebrata foret.  
At tu Saxonica Doctor prælustri in aula,  
Qui iam consilio regna paterna iuuas,  
Ne contemne sua teneras ætate Camœnas  
Paruaq; cum magno scripta fauore iuuas.  
Quæq; tibi grato de pectore dona feruntur  
Parua licet, grato pectore dona feras.  
Sic ubi præualidas dederint mihi numina uires,  
Carminè non humili teq; tuosq; canam.

Ioannes Schofferus  
Turingus.

DE MORTE IN=  
CLYTI HEROIS, ET OPTIMI PRIN=  
CIPIS AC DOMINI, DOMINI IOAN=  
NIS FRIDERICI, DVCIS SAXONIAE,  
LANDGRAVII TVRINGIAE ET  
MARCHIONIS MISNIAE.

*Epicedion.*

**N**Vper ut Aonio celebrastis gaudia cantu,  
Per loca tollentes gratos Helyconia plausus,  
Cum fuit in patriam sedesq; receptus auitas  
Magnanimus Princeps, cui Misnia foeta metallo  
Plenaq; frugiferis Turingia paruit agris:  
Nunc ita spe citius fatali morte perempto  
Dicite lugentes funebria carmina Musæ.  
Ille quidem certè supremo munere dignus,  
Quo nemo coluit uenerandas acrius artes,  
Acrius & nemo uestrum promouit honorem,  
Quo stetit incolumi doctorum gloria uatum,  
Cuius & interitu retro sublapsa refertur,  
Quod solet esse tenax foecundis uitibus ulmus,  
Sustinet immitem ualido quæ robore uentum:  
Hoc fuit ille uiris qui dulcia castra sequuntur,  
Castra nouenarum studio sacrata sororum.  
Huius in amplexu nam quæ uiolentia belli  
Quæ potuere sacras conuellere prælia Musas:  
Tota licet diro fuerit Germania ferro  
Ceu mare nymbofis, horrendum concita, uentis.

a ij Cognorat

Cognorat longo princeps edoctus ab usu,  
Cuncta gubernari doctrinae munere, nilque  
Artibus ingenuis praeclearius esse per orbem.  
Vel quia uirtutis studium fontesque ministrant,  
Nec feritate sinant animum rabieue teneri.  
Vel quia cōstringant homines compagine legum,  
Viuat ut unanimi stabilis respublica coetu.  
Vel quia diuini pandant oracula uerbi,  
Atque iter è terris ad caelica gaudia monstrant.  
Vel quia conseruent Heroum gesta, decusque  
Non unquam mortale ferant praestantibus actis.  
Conuenit idcirco lachrymis & carmine moesto  
Eximium lugere Ducem, qui digna Comœnis  
Ac simul illarum cultoribus oia fecit.  
Atque utinam superas potuisset longius auras  
Carpere, crudeles Germania dura tumultus  
(In sua uesanos ut uiscera commouet enses)  
Tolleret hoc autore, pias & sumptibus artes  
Non fera nutriret miserandi incendia belli.  
Pacis enim studiosus erat, quia commoda pacis  
Nec minus armorum fraudem cognouerat Heros  
Atque laceffitus tentabat cuncta, priusquam  
Aspera bellaci misceret praelia dextra.  
Attamen aduerso nimium commotus ab hoste  
Quamlibet inuitus, patrijs fulgebat in armis,  
Et grauitate sua uulgusque ducesque regebat,  
Multa Deo similis, ualidos quia corporis artus  
Dignaque praecclaris natalibus ora tenebat.

Hinc

Hinc omnes proceres coniunctis uiribus ibant,  
Ille rebellantem qua tela ferebat in hostem,  
Ceu, petijt quondam cum fortes Hector Achiuos  
Longa manus Troũ per Dorica castra secuta est.  
Aut cum Dardaniõs petijt uiolentus Achilles,  
Iuncta simul magnis conatibus arma tulerunt  
Tydides, & marte ferox Telamonius Ajax,  
Atridæ gemini, nec non facundus Vlysses.  
Quis fuit Heroes inter, qui Teutonis oram  
Præstanti uirtute regunt, qui principis huius  
Non duplici fuerit miratus nomine laudes?  
Tum quòd consilio superaret & arte togata  
Mille Duces, tum quod sæui certamine belli  
Non foret è numero multorum clarior alter.  
Illius auxilium gentes petiere remotæ  
Sæpius, inuictis quibus adfuit impiger armis.  
Sicut enim fortes animalia cuncta leones  
Horrescunt, illisq; manus & brachia tendunt:  
Non aliter cunctis fuit hostibus ille timori.  
More Gigantæo sed enim non prælia gessit,  
Conatus magnum bello superare Tonantem,  
Quod faciunt rigidi crudelia monstra Tyranni.  
At pro lege Dei, pro relligione tuenda  
Ardua sollicito certamina marte peregit.  
Hac ratione tulit facie spectabile uulnus,  
Hac ratione fuit patria de sede remotus,  
Hac ratione tulit tantos sine fine labores,  
Ut rear ingenti supressum mole laborum.

a iij

O patria

O patria infelix, quæ tot labefacta procellis  
Bellorum, uarios animo perpessa fuisti  
Hactenus indigna sub conditione dolores,  
Quam miser est rerum status & fortuna tuarum.  
Ferre satis fuerat diuturni tœdia belli,  
Exiliumq; Ducis longos spectasse per annos,  
Ni fuerit uisum superis, ut prorsus & illum  
Eriperent terris, diuûmq; in sede locarent,  
Quo tibi sperabas aliquam uiuente salutem.  
Tristis eras, tanto solatia nulla dolori  
Admittens, patrijs quando deductus ab oris  
Vincula sub Domino pateretur Cæsare Princeps.  
Te centum uidere dies lachrymisq; solutis  
Et prece magnorum placantem numina Diuum.  
Te centum uidere dies laniare capillos,  
Nequicq; pauidis & plangere corda lacertis.  
Donec mota foret superûm diuina potestas,  
Ne magis orbatam pateretur Principe terram,  
Terram quæ fuerat spaciofo tempore lustrî  
Ob Ducis exilium sæuicq; incommoda martis  
Ah nimis immensa circumdata ualle malorum.  
Lata, resoluebas crudeli pectora luctu,  
Proq; salute Ducis, pro libertate recepta  
Festa celebrabas iucundo tempora plausu.  
At fuit illa tibi breuis & peritura uoluptas,  
Nam uix incolumem patriaq; in sede moratum  
Altera spectârat messis, cum morte peremptus  
Et regnum patriæ uenerandaq; scepra reliquit.

Merfa



Merfa iaces igitur supremo gurgite, nondum  
Antiqui penitus damni releuata procellis.  
Illa dies autem tibi quæ clarissime Princeps  
Antiquos iterum regni promisit honores,  
Primaq; monstrauit requiem, finemq; laborum,  
Illa dies omnem uitæ tibi præscidit usum,  
Inuiditq; decus populo immortale relicto.  
O Princeps patria longè infelicior ipsa  
O quater infelix, quæ nam uiolentia fati  
Te fuit innumeris iamdudum casibus actum  
Non passa ulterius producere fila senectæ?  
Debueras ipso quali iam requiescere portu,  
Ac lucere tuas augusta pace per urbes,  
Lætitiâq; frui patriæ plausuq; tuorum,  
Hoc decus omne tibi ni Parca maligna negarit,  
Fallor? an immenso curarum pondere pressum  
Nuper & orbatum præclaræ coniugis usu  
Vlterius piguit spacium decurrere uitæ?  
Si fuit Euridicen quondã Rhodopeius Orpheus  
Per Chaos infernum, tenebrosaq; regna secutus:  
Quis neget ad cœli nectar manesq; beatos  
Te uoluisse sequi dilectæ coniugis ora?  
Sicut enim longos fuerat tibi iuncta per annos,  
Cumq; thori consorte graues experta dolores:  
Nunc ita coniunctam uoluisti uiuere tecum,  
Quâ uiuunt iusti post ultima funera cœtus.  
Salue cœlicolas inter uenerabilis omnes,  
Cum thalami socia Dux ô celeberrime salue,  
Non

Non aliquis uestro superum certarit honori,  
Iam chorus ætherei uobis assurgit Olympi,  
Atq; simul uestrum decus admiratur, & alta  
Voce canit laudes, resonat concentibus æther,  
Læticiaq; fremit spatiosi machina cœli.  
Iam datur amplecti uobis pietate probatos  
Saxonix proceres, olim qui fortibus ausis  
Alta sui generis famam super astra tulerunt.  
Aligeri circum pueri gradiuntur ouantes,  
Pars tibi sub pedibus princeps redolentia spargunt  
Lilia, pars manibus uestem contingere gaudent,  
Pars tua rite legunt uestigia, parsq; sequentem  
Ante thronum certant supremi sistere Regis.  
Ipsemet extinctus iam nil nisi gaudia captas,  
Spernis & humane casus ac tœdia uitæ.  
At nos terra quibus patet, & quos morte relinquis  
Lugemus merito tua fata, tibiq; perempto  
Extremum lachrymis gemituq; probamus honorem  
Noxia nam populo tua funera summa fuerunt,  
Qui tibi commissis fuerat flectendus habenis.  
Orba parente suo ueluti, respública luget,  
Nuper in immensa serie iactata malorum,  
Spemq; suam cecidisse refert, qua sospite cunctam  
Quamuis magna foret, poterat sarcire ruinam.  
Consilio confisa tuo que tempore belli  
Pacificoq; fuit penitus, Germania luget,  
Eximiumq; decus sibi funere credit ademptum,  
Quo nil maius habet, quo nil prestantius unquam  
Ipsamet

Ipsamet Heroo uidit de sanguine natum.  
Quid referam proceres Romani lumina regni  
Quorum magna cohors indigna morte necatum  
Te dolet, & mœsti dat plurima signa doloris.  
Ipse Borussiacæ Princeps clarissimus oræ  
Qui tibi frater erat, cui frater & ipse fuisti  
(Tanta fuit uestri uis & coniunctio amoris)  
Luget, & assiduo sese mœrore fatigat.  
Namq; silere tubas, resonantia cymbala, plectrū,  
Lætaq; cuncta iubet, iubet & mœstissima cantu  
Dicere lugenti Friderici fata Ioannis.  
Cōdolet Aonidū chorus, & lachrymosa frequētat  
Carmina, nec lauri sua tempora fronde coronat,  
Sed postrema suo persoluit iusta patrono.  
Summatim lugent omnes uirtutis alumni  
Eximiumq; uirum fato periisse queruntur.  
Tecum nanq; grauis cecidit prudentia, tecum  
Maxima summarum iacet experientia rerum.  
Concidit excellens animi constantia tecum,  
Concidit insignis pietas: at multa supersunt  
Non unq; moritura tuę præconia laudis.  
Non ego, si possim cunctos superare loquendo,  
Natorum lamenta queam narrare tuorum.  
Ah nimis inuiti patriæ moderantur habenas,  
Et mallent charo subiectas esse parenti,  
Quamuis non careant pulchra grauitate regendi.  
Summe Deus, rerum pater, & suprema potestas,  
Cuius ad æthereum deduxit spiritus agmen

b Præstans

Q. 1869

Præstantem pietate Ducem, fecitq; relictas  
Esse, sub Arctoo quæ degunt sydere, gentes:  
Si tibi complacuit cœlo donare parentem,  
At seruare uelis præstantia pignora natos  
Incolumes, regno qui nunc potiuntur auito,  
Exuperantq; suos claris uirtutibus annos:  
Ne labefacta cadat penitus respublica, neue  
Indefensa tui minuatur gloria uerbi.

FINIS.

nc



Pon Vc 1869, 2K


ULB Halle

3

003 330 095







B.I.G.

Farbkarte #13

QR XVIII, 18.

V c  
1869

# DE MORTE IN=

TI HEROIS, ET OPTIMI PRIN=

PIS AC DOMINI, DOMINI IOAN=

NIS FRIDERICI DVCIS SAXONIAE,

LANDGRAVII TVRINGIAE ET

MARCHIONIS MISNIAE.

Epicedion.

Authore

IOANNE SCHOSSERO

Turingo.

ERPHVRDIAE.

ANNO M. D. LIII.

Mense Septembri.

